

## Vergilius, *Aeneis* I, 1–11

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris  
Italiam fato profugus Laviniaque venit  
litora, multum ille et terris iactatus et alto  
vi superum saevae memorem Iunonis ob iram,  
multa quoque et bello passus, dum conderet urbem                    5  
inferretque deos Latio, genus unde Latinum  
Albanique patres atque altae moenia Romae.  
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso  
quid ve dolens regina deum tot volvere casus  
insignem pietate virum, tot adire labores                            10  
impulerit. tantaene animis caelestibus irae?

### Doplňkové otázky:

- 1) Najděte skupinu *muta cum liquida*, která způsobila zkrácení předchozího vokálu.
- 2) Najděte případ metrického dloužení první slabiky ve slově.
- 3) Pokuste se najít alespoň jeden případ synizése.
- 4) Vyznačte všechny elize. O jaký typ elizí se jedná?
- 5) Najděte případ aliterace ve verši.
- 6) Pokuste se určit a popsat metrum ukázky. Jako návod využijte následujících otázek.

Které stopy se v ukázce nejčastěji objevují? Hodnotu kolika mór mají?  
V jakém poměru je v těchto stopách theze k arzi?  
Je rytmus verše vzestupný nebo sestupný?  
O jakou rytmickou řadu se jedná?  
Jedná se o verš katalektický či akatalektický, znělý či neznělý?

maritus = amfibrachys  
concessus = palimbakcheios  
durus = trochej  
extollo = molossus  
extra = spondej  
gregis = pyrrhicicus  
galea = tribrachys  
ganea = daktyl  
habito = anapest  
haereo = krétikos

## P. Ovidius Naso, *Metamorphoses I*, 89–112

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,  
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat. 90  
poena metusque aberant, nec verba minantia fixo  
aere legebantur, nec supplex turba timebat  
iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.  
nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,  
montibus in liquidas pinus descenderat undas, 95  
nullaque mortales praeter sua litora norant;  
nondum praecipites cingebant oppida fossae;  
non tuba derecti, non aeris cornua flexi,  
non galeae, non ensis erat: sine militis usu  
mollia securae peragebant otia gentes. 100  
ipsa quoque inmunis rastroque intacta nec ullis  
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus,  
contentique cibis nullo cogente creatis  
arbuteos fetus montanaque fraga legebant  
cornaque et in duris haerentia mora rubetis 105  
et quae deciderant patula Iovis arbore glandes.  
ver erat aeternum, placidique tepentibus auris  
mulcebant zephyri natos sine semine flores;  
mox etiam fruges tellus inarata ferebat,  
nec renovatus ager gravidis canebat aristis; 110  
flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,  
flavaque de viridi stillabant ilice mella.

## **Lucretius, *De rerum natura I*, 1–5**

Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,  
alma Venus, caeli subter labentia signa  
quae mare nавigerum, quae terras frugiferentis  
concelebras, per te quoniam genus omne animantium  
concipitur visitque exortum lumina solis:

## **P. Ovidius Naso, *Tristia IV*, 10, 1–10**

Ille ego qui fuerim, tenerorum lusor amorum,  
quem legis, ut noris, accipe posteritas.  
  
Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,  
milia qui noviens distat ab urbe decem.  
  
editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris, 5  
cum cecidit fato consul uterque pari.  
  
siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,  
non modo fortunae munere factus eques.  
  
nec stirps prima fui: genito sum fratre creatus,  
qui tribus ante quater mensibus ortus erat.

## Pentadius, <*De Narcisso*>

Cui pater amnis erat, fontes puer ille colebat  
laudabatque undas, cui pater amnis erat.  
se puer ipse videt, patrem dum quaerit in amne,  
perspicuoque lacu se puer ipse videt.  
quod Dryas igne calet, puer hunc inridet amorem  
nec putat esse decus, quod Dryas igne calet.  
stat, stupet, haeret, amat, rogat, innuit, aspicit, ardet,  
blanditur, queritur, stat, stupet, haeret, amat.  
quodque amat ipse facit vultu, prece, lumine, fletu;  
oscula dat fonti, quodque amat ipse facit.

5

10

**Seneca, *Oidipús*, 449–465**

Te Tyrrhena, puer, rapuit manus,  
et tumidum Nereus posuit mare, 450  
caerula cum pratis mutat freta:  
hinc verno platanus folio viret  
et Phoebo laurus carum nemus;  
garrula per ramos avis obstrepit;  
vivaces hederas remus tenet, 455  
summa ligat vitis carchesia.  
Idaeus prora fremuit leo,  
tigris puppe sedet Gangetica.  
Tum pirata freto pavidus natat,  
et nova demersos facies habet: 460  
bracchia prima cadunt praedonibus  
inlisumque utero pectus coit,  
parvula dependet lateri manus,  
et dorso fluctum curvo subit,  
lunata scindit cauda mare: 465

## **Horatius, *Carmina I*, 4**

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni  
trahuntque siccas machinae carinas,  
ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni  
nec prata canis albicant pruinis.

Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna

5

iunctaeque Nymphis Gratiae decentes  
altero terram quaunt pede, dum gravis Cyclopum  
Volcanus ardens visit officinas.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto

aut flore, terrae quem ferunt solutae;

10

nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,  
seu poscat agna sive malit haedo.

Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas  
regumque turris. O beate Sesti,

vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

15

Iam te premet nox fabulaeque Manes  
et domus exilis Plutonia, quo simul mearis,  
nec regna vini sortiere talis

nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus  
nunc omnis et mox virgines tepebunt.

20

# **Horatius, *Carmina I*, 7**

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen  
aut Ephesum bimarisve Corinthi  
moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos  
insignis aut Thessala Tempe;  
sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem       5  
carmine perpetuo celebrare et  
undique decerp tam fronti p reponere oliuam;  
plurimus in Iunonis honorem  
aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas:  
me nec tam patiens Lacedaemon                           10  
nec tam Larisae percussit campus opimae  
quam domus Albuneae resonantis  
et p raeceps Anio ac Tiburni lucus et uda  
mobilibus pomaria rivis.  
Albus ut obscur o deterget nubila caelo               15  
saepe Notus neque parturit imbris  
perpetuo, sic tu sapiens finire memento  
tristitiam vitaeque labores  
molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis  
castra tenent seu densa tenebit                           20  
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque  
cum fugeret, tamen uda Lyaeo  
tempora populea fertur vinxisse corona,  
sic tristis affatus amicos:  
'Quo nos cumque feret melior fortuna parente,           25  
ibimus, o socii comitesque.  
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro:  
certus enim promisit Apollo  
ambiguam tellure nova Salamina futuram.  
O fortis peioraque passi  
mecum saepe viri, nunc vino p ellite curas;           30  
cras ingens iterabimus aequor.'

## **Horatius, *Carmina* IV, 7**

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis  
arboribus comae;  
mutat terra vices et decrescentia ripas  
flumina praetereunt;  
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet  
ducere nuda chorus.

Inmortalia ne speres, monet annus et almum  
quae rapit hora diem.

Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas,  
interitura simul  
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox  
bruma recurrit iners.

Damna tamen celeres reparant caelestia lunae:  
nos ubi decidimus  
quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,  
pulvis et umbra sumus.

Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae  
tempora di superi?

Cuncta manus avidas fugient heredis, amico  
quae dederis animo.

Cum semel occideris et de te splendida Minos  
fecerit arbitria,  
non, Torquate, genus, non te facundia, non te  
restituet pietas;  
infernis neque enim tenebris Diana pudicum  
liberat Hippolytum,  
nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro  
vincula Pirithoo.

## C. Valerius Catullus, c. 29, 1–10

quis hoc potest videre quis potest pati

nisi impudicus et vorax et aleo

Mamurram habere quod comata Gallia

habebat uncti et ultima Britannia.

cinaede Romule haec videbis et feres.

et ille nunc superbus et superfluens

perambulabit omnium cubilia

ut albulus columbus aut Adoneus.

cinaede Romule haec videbis et feres.

es impudicus et vorax et aleo.

## Plautus, *Menaechmi*, 79–88

Homines captivos qui catenis vinciunt

Et qui fugitivis servis indunt compedes,

Nimis stulte faciunt mea quidem sententia.

Nam <hoc> homini misero si ad malum accedit malum,

Maior lubidost fugere et facere nequiter.

Nam se ex catenis eximunt aliquo modo,

+ Tum compediti | anum lima praeterunt

Aut lapide excutiunt clavom: nugae sunt eae.

Quem tu adservare recte ne aufugiat voles,

Esca atque potionē vinciri decet.

## **Homér, *Odyssеia*, I, 1–10**

ἄνδρα μοι ἔννεπε, μοῦσα, πολύτροπον, δῆς μάλα πολλὰ  
πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἰερὸν πτολίεθρον ἔπερσεν:  
πολλῶν δὲ ἀνθρώπων ἵδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω,  
πολλὰ δὲ ὅ γένεται πόντῳ πάθεν ἄλγεα δῆν κατὰ θυμόν,  
ἀρνύμενος ἦν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἔταιρον.

5

ἀλλ' οὐδὲ ὡς ἐτάρους ἐρρύσατο, οἴμενός περ:  
αὐτῶν γὰρ σφετέρησιν ἀτασθαλίησιν ὅλοντο,  
νήπιοι, οἵ κατὰ βοῦς Υπερίονος Ἡελίοιο  
ἥσθιον: αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἥμαρ.

τῶν ἀμόθεν γε, θεά, θύγατερ Διός, εἰπὲ καὶ ἡμῖν.

10

## **Epigram na spartské hrdiny padlé u Thermopyl**

ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε  
κείμενα, τοῖς κείνων ὁήμασι πειθόμενοι.

## **(Cicero, *Tusc.* 1, 101)**

Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentes,  
dum sanctis patriae legibus obsequimur.

## Sofoklés, *Oidipús tyrannos*, 1–13

Ω τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή,  
τίνας ποθ' ἔδρας τάσδε μοι θοάζετε  
ίκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι;  
πόλις δ' ὄμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει,  
όμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων. 5  
ἀγὼ δικαιῶν μὴ παρ' ἀγγέλων, τέκνα,  
ἄλλων ἀκούειν αὐτὸς ὥδ' ἐλήλυθα,  
ο πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος.  
ἀλλ', ὡ γεραιέ, φράζ', ἐπεὶ πρέπων ἔφυς  
πρὸ τῶνδε φωνεῖν, τίνι τρόπῳ καθέστατε,  
δείσαντες ἢ στέρξαντες; ως θέλοντος ἀν  
ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν· δυσάλγητος γὰρ ἀν  
εἴην τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτίων ἔδραν.

## **Plautus, *Captivi*, 978–986**

PHIL. Hegio, assum: si quid me vis, impera. HE. Hic gnatum meum  
Tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.

PHIL. Quam diu id factumst? STAL. Hic annus incipit vicensumus.

PHIL. Falsa memorat. STAL. Aut ego aut tu: nam tibi quadrimulum  
Tuos pater peculiarem parvolo puero dedit.

PHIL. Quid erat ei nomen? si vera dicis, memoradum mihi.

STAL. Paegnium vocitatust: post vos indidistis Tyndaro.

PHIL. Cur ego te non novi? STAL. Quia mos est oblivisci hominibus  
Neque novisse quoius nihil*< i >* sit faciunda gratia.

## **L. Anneus Seneca, *Agamemnon*, 310–321**

Canite, o pubes inclita, phoebum.

Tibi festa caput

turba coronat, tibi virgineas,

laurum quatiens,

de more comas innuba fudit

stirps inachia;

tu quoque nostros, thespias hospes,

comitare choros,

quaeque erasini gelidos fontes,

quaeque eurotan,

quaeque virenti tacitum ripa

bibis ismenon:

## **Horatius, *Carmina II*, 18**

Non ebur neque aureum  
mea renidet in domo lacunar;  
non trabes Hymettiae  
premunt columnas ultima recisas  
Africa, neque Attali 5  
ignotus heres regiam occupavi,  
nec Laconicas mihi  
trahunt honestae purpuræ clientæ.  
At fides et ingeni  
benigna vena est pauperemque dives 10  
me petit; nihil supra  
deos laccesso nec potentem amicum  
largiora flagito,  
satis beatus unicis Sabinis.  
Truditur dies die 15  
novaeque pergunt interire lunæ;  
tu secanda marmora  
locas sub ipsum funus et sepulcri  
inmemor struis domos  
marisque Bais obstrepentis urges 20  
summovere litora,  
parum locuples continente ripa.

Quid quod usque proximos  
revellis agri terminos et ultra  
limites clientium 25  
salis avarus? Pellitur paternos  
in sinu ferens deos  
et uxor et vir sordidosque natos.

Nulla certior tamen  
rapacis Orci fine destinata 30  
aula divitem manet  
erum. Quid ultra tendis? Aequa tellus  
pauperi recluditur  
regumque pueris, nec satelles Orci  
callidum Promethea 35  
revexit auro captus. Hic superbum  
Tantulum atque Tantali  
genus coercet, hic levare functum  
pauperem laboribus  
vocatus atque non vocatus audit. 40

## **Horatius, *Carmina I*, 1 (vv. 1–14)**

Maecenas atavis edite regibus,  
o et praesidum et dulce decus meum,  
sunt quos curriculo pulverem Olympicum  
collegisse iuvat metaque fervidis  
evitata rotis palmaque nobilis                    5  
terrarum dominos evehit ad deos;  
hunc, si mobilium turba Quiritium  
certat tergeminis tollere honoribus;  
illum, si proprio condidit horreo  
quicquid de Libycis verritur areis.                10  
Gaudentem patrios findere sarculo  
agros Attalicis condicionibus  
numquam demoveas, ut trabe Cypria  
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

## **Horatius, *Carmina I*, 11**

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi  
finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios  
temptaris numeros. Ut melius quicquid erit pati!  
  
Seu pluris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,  
quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare                    5  
Tyrrhenum, sapias, vina lique et spatio brevi  
spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida  
aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

## **Horatius, *Carmina I, 2* (vv. 1–20)**

Iam satis terris nivis atque dirae  
grandinis misit Pater et rubente  
dextera sacras iaculatus arces  
terruit urbem,  
  
terruit gentis, grave ne rediret 5  
saeculum Pyrrhae nova monstra questae,  
omne cum Proteus pecus egit altos  
visere montis,  
  
piscium et summa genus haesit ulmo,  
nota quae sedes fuerat columbis, 10  
et superiecto pavidae natarunt  
aequore dammae.  
  
Vidimus flavum Tiberim retortis  
litore Etrusco violenter undis  
ire deiectum monumenta regis 15  
templaque Vestae,  
  
Iliae dum se nimium querenti  
iactat ultorem, vagus et sinistra  
labitur ripa Iove non probante u-  
xorius amnis. 20

## **Horatius, *Carmina I*, 8**

Lydia, dic, per omnis

te deos oro, Sybarin cur properes amando

perdere, cur apricum

deserit Campum, patiens pulveris atque solis,

cur neque militaris

5

inter aequalis equitet, Gallica nec lupatis

temperet ora frenis.

Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum

sanguine viperino

cautius vitat neque iam livida gestat armis

10

bracchia, saepe disco

saepe trans finem iaculo nobilis expedito?

quid latet, ut marinae

filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae

funera, ne virilis

15

cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

## **Horatius, *Carmina III*, 1 (vv. 1–15)**

Odi profanum vulgus et arceo.

Favete linguis: carmina non prius

audita Musarum sacerdos

virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges, 5

reges in ipsos imperium est Iovis,

clari Giganteo triumpho,

cuncta supercilio moventis.

Est ut viro vir latius ordinet

arbusta sulcis, hic generosior 10

descendat in campum petitor,

moribus hic meliorque fama

contendat, illi turba clientium

sit maior: aequa lege Necessitas

sortitur insignis et imos,

omne capax movet urna nomen. 15

## **Horatius, *Carmina I*, 3 (vv. 1–16)**

Sic te diva potens Cypri,  
sic fratres Helenaे, lucida sidera,  
ventorumque regat pater  
obstrictis aliis praeter Iapyga,  
navis, quae tibi creditum

5

debes Vergilium; finibus Atticis  
reddas incolumem precor  
et serves animae dimidium meae.

Illi robur et aes triplex  
circa pectus erat, qui fragilem truci  
commisit pelago ratem  
primus, nec timuit praecipitem Africum  
decertantem Aquilonibus

nec tristis Hyadas nec rabiem Noti,  
quo non arbiter Hadriae

15

maiор, tollere seu ponere vult freta.

## **Horatius, *Carmina I*, 14**

O navis, referent in mare te novi  
fluctus. O quid agis? Fortiter occupa  
portum. Nonne vides ut  
nudum remigio latus,

et malus celeri saucius Africo  
antemnaque gemant ac sine funibus  
vix durare carinae  
possint imperiosius

aequor? Non tibi sunt integra linte,  
non di, quos iterum pressa voces malo.  
Quamvis Pontica pinus,  
silvae filia nobilis,

iactes et genus et nomen inutile:  
nil pictis timidus navita pupibus  
fudit. Tu, nisi ventis  
debes ludibrium, cave.

Nuper sollicitum quae mihi taedium,  
nunc desiderium curaque non levis,  
interfusa nitentis  
vites aequora Cycladas.

5

10

15

20

## **Horatius, Epodi 13**

Horrida tempestas caelum contraxit et imbræ  
nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc silvae  
Threicio Aquilone sonant. rapiamus, amici,  
Occasionem de die dumque virent genua  
et decet, obducta solvatur fronte senectus. 5  
tu vina Torquato move consule pressa meo.  
cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna  
reducet in sedem vice. nunc et Achaemenio  
perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea  
levare duris pectora sollicitudinibus, 10  
nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:  
'invicte, mortalis dea nate puer Thetide,  
te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi  
findunt Scamandri flumina lubricus et Simois,  
unde tibi redditum certo subtemine Parcae 15  
rupere, nec mater domum caerula te revehet.  
illuc omne malum vino cantuque levato,  
deformis aegrimoniae dulcibus adloquiis.'

## **Horatius, *Epodi* 11 (vv. 1–18)**

Petti, nihil me sicut antea iuvat  
scribere versiculos amore percussum gravi,  
amore, qui me praeter omnis expetit  
mollibus in pueris aut in puellis urere.  
  
hic tertius December, ex quo destiti 5  
Inachia furere, silvis honorem decutit.  
  
heu me, per urbem (nam pudet tanti mali)  
fabula quanta fui, conviviorum et paenitet,  
in quis amantem languor et silentium  
arguit et latere petitus imo spiritus. 10  
  
'contrane lucrum nil valere candidum  
pauperis ingenium' querebar adplorans tibi,  
simul calentis inverecundus deus  
fervidiore mero arcana promorat loco.  
  
'quodsi meis inaestuet praecordiis 15  
libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat  
fomenta vulnus nil malum levantia,  
desinet inparibus certare submotus pudor.'

## C. Valerius Catullus, c. 1 (ad Cornelium)

Cui dono lepidum novum libellum

arida modo pumice expolitum?

Corneli, tibi: namque tu solebas

meas esse aliquid putare nugas.

Iam tum, cum ausus es unus Italorum

5

omne aevum tribus explicare cartis

Doctis, Iuppiter, et laboriosis!

Quare habe tibi quidquid hoc libelli—

qualecumque, quod, o patrona virgo,

plus uno maneat perenne saeclo!

10